



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XXIV. Vtrum detur in Deo amor sui, & odium malorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

quibus cooperantur, quæque permittunt, seu non impediunt, cum impedire possent; & similiter nolunt, quæ prohibent. Itaque iuxta communiter contingentia, præceptum, consilium, operatio, & permissio, nec non prohibitio obtinent apud homines rationem signi significantis, velle, & nolle proportionaliter.

Art. 4. Hinc fit, ut signo posito pro re significata absolute dicatur, nec infrequenter, tum in sacris literis, & apud SS. PP. tum in communi sermone, Deum velle, quæ præcipit, &c. nolle verò, quæ prohibet: tamen sæpe contingat, ut ea neque velit propriè, neque nolit. Contingit nimirum sæpe, ut non fiat, quod Deus præcipit, utque fiat, quod non fiat, quod Deus vult; aut ut fiat, quod non vult voluntate propriè, & simpliciter tali. Quæ videlicet est omnipotens, ideoque infallibilis, & infustrabilis, ut patebit ex testimonio infra opportune producendis. Neque verò ob id verificatur, Deum adhibere signa fallia, dum præcipit, aut prohibet aliquid, quin prædefiniat efficaciter, seu efficaciter, & propriè velit actum præceptum, aut omissionem actus prohibiti. Quia Deus non ad hoc adhibet præceptum, aut consilium, ut significet adesse sibi talem voluntatem prædefinitam: sed solum, ut significet voluntatem aliam suam propriè talem circa actus prohibitos, aut præceptos; nempe voluntatem formaliter, aut æquivalenter conditionatam de conferendis præmiis, & irrogandis suppliciis, si fiant, aut omittantur tales, vel tales actus, ut exponetur in qq. de actibus humanis circa primam eorum regulam. Ex his igitur patet, utramque divisionem propositam esse legitimam, & admodum opportunè inductam esse à Theologis pro vera intelligentia, & mutua reali concordia multiplicis locutionis in Scriptura, & apud Sanctos PP. circa voluntatem Dei.

Ad 1. Patet ex dictis, utramque eam divisionem niti relatione, & ordine ad diuersa connotata creata, quo pacto diuiduntur, ratione nostra, multipliciter prædicata etiam necessaria, & absoluta Dei expertia obiecti, & in se, omnis prorsus distinctionis.

Ad 2. Utraque hæc diuisio inducta est non tam ad intelligentiam rei, quæ diuiditur, quam ad intelligentiam diuersarum locutionum circa ipsam. In huiusmodi autem diuisione nullum est vitium; sed sæpe est necessarium, & valde utile, ut diuisum vsurpetur cum præcisione à propriè, & impropriè tali suppositione analogâ, seu æquiuocâ; ut cum Canis diuiditur in celestem, & terrestrem.

Ad 3. Quælibet Dei voluntas coïncidit re ipsa cum qualibet voluntate Diuina. Quia voluntas Dei in se intrinsecè est vna omnino, & simplex. Non autem coïncidit ratione nostra, & secundum modum nostrum intelligendi, quando refertur ad connotata creata inter se diuersa, atque inde sortitur diuersas apparentias respectu nostri. Patet verò ex dictis, istiusmodi diuersitatem non deesse in re præfenti.



QVÆSTIO XXIV.

Vtrum deur in Deo amor sui, & odium malorum?



IN ETUR non dari amorem sui, & dari odium malorum. Quia de ratione amoris est, ut non feratur ad suum obiectum, aut ut præfens, aut ut absens, sed cum præfensione ab absentia, & præfentia. Affectus enim, qui

versatur circa bonum, ut præfens, dicitur gaudium: sicut dicitur desiderium, qui versatur circa illud, ut absens. Ergo amor strictus distinctus à puro gaudio, & à puro desiderio, necesse est, ut versetur circa bonum quatenus præfendens ab absentia, & præfentia. Deus autem non potest versari circa se ipsum cum tali præfensione. Quia est bonum essentialiter sibi præfens, & ut tale cognoscitur per omnem Diuinam cognitionem, utpotè comprehensum ipsius. Ergo in Deo non datur amor strictus erga se ipsum, ut distinctus à puro gaudio. Confirmatur, quia eadem præcisè de causa negatur Deo ab omnibus scientia simplicis intelligentiæ circa se ipsum. Quia videlicet non potest cognoscere possibilitatem sui cum indifferentia ad existentiam, & non existentiam, seu cum præfensione ab utraque. Confirmatur rursus, quia Deo repugnat desiderium sui: Ergo, & amor strictè talis. Patet consequentia; quia tam repugnat Deo cognitio sui, ut præfendens ab existentia, & possessione, quam repugnat cognitio sui, ut absens, seu carentiæ sui.

2. Amor Dei erga se ipsum nec efficax esse potest, nec inefficax. Non inefficax; quia amor inefficax est affectus imperfectus, & neque à nobis concipitur nisi erga bonum, ut coniunctum cum imperfectione, vel apparens ad modum habentis imperfectionem. Sed neque efficax esse potest, quia amor efficax dicitur, qui potest efficere suum obiectum, vel certè vult, aut velle efficere. Quorum neutrum conuenire potest Deo respectu sui, cui videlicet repugnat, ut fiat; nec non, ut cognoscatur, aut apprehendatur à se ipso aliter, atque est in se. Ergo nullus amor dari potest in Deo respectu sui. Simile argumentum conficitur ex diuisione amoris, quæ communiter censetur ad æquata, in amorem concupiscentiæ, & amorem amicitiae: Quia amor concupiscentiæ est ignobilis, & imperfectus, ideoque repugnat Deo, tam respectu sui, quam respectu aliorum. Amor verò amicitiae exigit ex suo conceptu dualitatem, & minimum, tum naturarum, tum personarum amantium se mutuo propter se. In Deo autem non datur dualitas naturarum, sicut neque dualitas amorum mutuo se respicientium, atque rependentium.

3. Dari è conuerso in Deo odium malorum conuincitur efficaciter ex ps. 44. 8. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.* Malachiæ 1. 2. *Iacob dilexit, Esau autem odio habui.* Ecclesiastici 1. 2. 7. *Altissimus odio habet peccatores.* Et quidem odio summo tendente ad perditionem odio habiti, ideoque pertinente ad inimicitiam propriè talem, ex ps. 5. 7. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem; perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Conuenit igitur Deo odium simpliciter, idest, odium inimicitiae erga malos.

4. Deus vult peccatori mala, quatenus mala eadem, idque ex displicentia personæ. Sed hic est affectus inimicitiae. Ergo hic affectus, qui est odij propriè talis conuenit Deo propriè. Probatur maior. Quia peccatores in primis, quatenus tales displicent Deo. Non enim displicet ipsi solum peccatum, sed etiam peccator propter peccatum, iuxta illud Sapientiae 14. 9. *Odia sunt Deo impius, & impietas eius.* Deinde Deus vult peccatoribus supplicia, & poenas, quatenus supplicia, & poenæ sunt. Supplicia autem, & poenæ, quatenus talia, sunt mala patienti, ut per se patet. Accedit, reprobis saltem nullum à Deo intendi bonum per supplicia. Quia videlicet nullius boni obtinendi sunt capaces pro eo statu. Illatio autem mali ad nullum tendens bonum, seu præfens, seu futurum respectu patientis, est opus proprium odij inimicitiae: Si quod est tale in rerum naturâ. Nempe si esset de ratione odij inimicitiae, ut nullum prorsus intendatur bonum, etiam aliorum à patiente, nullum

nullum esset possibile odium inimiciæ, vel etiam in nobis. Quia nemo intendens ad malum operatur; nempe ad purum malum, ut fert vulgare, idemque verissimum axioma. Ergo saltem respectu reprobum datur in Deo odium inimiciæ propriæ tale.

5. Possibile est in homine odium propriæ tale aduersus Deum. Ergo, & in Deo aduersus hominem. Patet consequentia, quia æquum est, ut par pari reddat Deus, ideoque necesse est, ut reddere possit. Quia etiam ratione tribuitur Deo amor amicitia erga homines sibi amicos. Patet antecedens: tum quia peccatores dicuntur inimici Dei in sacris literis; tum quia demones, alique damnati, nec non viatores nonnulli gerentes damnatorum animas, intendunt iniurias, & dehonorationem Dei, atque infamiam, quatenus sunt mala Dei, atque animo nocendi ipsi quantum possunt, vel si possent. Quod certissime spectat ad inimicitiam propriæ talem.

Art. 1. Respondetur. Regula generalis circa affectus particulares tribuendos, vel negandos Deo, similis est illi, quæ suprà tradita est circa virtutes, & ab omnibus traditur vnanimiter. Nimirum, ut Deo adscribantur specialiter illi omnes, & soli affectus, in quorum conceptu, demptis imperfectionibus, adhuc superest prædicatum aliquod, per quod differant inter se; reliqui vero negentur eidem quoad rationem suam specificam, & differentialem propriæ sumptam, solumque concedantur, vel quoad rationem communem tantum, vel tantum metaphoricè, ac tropicè. Iuxta quàm regulam concedendus est Deo amor strictè, & propriè talis erga se ipsum: negandum verò omne odium inimiciæ propriæ, & strictè tale. Quæ duo quia nituntur ratione valde assimili cum proportionem contraria, propterea coniunctim effertur.

Art. 2. Concedendus quidem Deo est amor strictè talis erga se, cum D. Thomas, & cum communiorum Theologorum terè omnium sententia, aduersus Albiz, & Hericæ. Quia, ut arguit D. Thomas 1. contra gent. c. 91. n. 6. *Omnis affectionis principium est amor; sed in Deo est gaudium, & delectatio. Ergo in Deo est amor.* Maior præterquam quòd est satis munita auctoritate ipsius arguentis, docetur communiter, tamquam certa, ab interpretibus cum ipso D. Thoma in præsentī q. 20. art. 1. & apud Magistrum in 1. dist. 1. ubi inter alios, Ocham. q. 4. estque omnibus nota per experientiam. Quivis enim interrogatus quare gaudeat, vel desideret, illico respondet incunctanter; Quia amo; eademque responsio est circa quemvis alium affectum. De gaudio autem, & delectatione Dei à nemine dubitari potest; quia à nemine dubitari potest de beatitudine eius.

Art. 3. Pro maiori claritate huius rationis, & pro ratione quasi à priori, notandum est, hoc esse proprium, & peculiare amoris strictè talis, ut nullum alium affectum ante se præsupponat ex sua natura, & per se. Deinde, ut inducat vi sua bonum, circa quod versatur. Quia amor est actiuus, quantum potest, ex Philosopho 2. Rhetoric. c. 4. initio. Priori ex istis prædicato differt amor ab omnibus aliis affectibus, quibus videlicet omnibus commune est, ut præsupponant amorem, iuxta doctrinam communem modò præmissam. Posteriori verò prædicato differt specialiter amor strictus à puro gaudio strictè tali, quem solum affectum reliquum Deo faciunt, qui negant eundem amorem strictum. Quia gaudium fertur ad bonum, uti iam possessum, & præsens independentè ab eodem. Habet autem Deus affectum erga se, quo nullus alius sit prior, ut patet ex terminis. Deinde Deus, atque adeò tota eius bonitas existit vi affectus, quo prosequitur se ipsum. Quia affectus Dei erga se est indistinctus ab ipso Deo, qui est à se, ac proinde

est ab affectu suo, qui est ipse. Ergo affectus, quo Deus prosequitur se ipsum, habet duplex prædicatum propriè, & sine metaphora sibi conueniens, quorum altero differt formaliter ab omni alio affectu distincto ab amore stricto; altero verò differt à puro gaudio. Neutrum autem ex his prædicatis includit in se formaliter ullam imperfectionem; quia utrumque est proprium Deitatis, & potè nihil ante se præsupponens, à quo sit, & existentis vi sua, sen à se. Conuenit igitur Deo propriè perfectio propria, & peculiaris amoris stricti absque ulla imperfectione. Conuenit ergo Deo secundum suum proprium conceptum amor strictè, & propriè talis distinguibilis ratione à gaudio erga se ipsum, non secus, ac conueniunt eidem intellectus, & volitio, iustitia, & misericordia, & alia eiusmodi.

Art. 4. Ratione contraria conuincitur Deo non conuenire propriè, & sine metaphora odium inimiciæ aduersus peccatores, aut odium strictè, & propriè tale aduersus aliquid aliud. Ita docet ex professò D. Thomas 1. contra gent. c. 96. & in præsentī q. 20. art. 2. ad 4. In priori namque loco, præmissò odio Dei contra peccata, subiicit nihilominus, similitudinè tantum esse odium, auersionem Dei à peccatis, & à peccatoribus. Quia odium propriè tale est subsistentium, non secus atque amor, & amicitia. Subsistentia autem Deus non odio habet; nimirum inimiciæ; quod solum est odium simpliciter. Unde in posteriori loco distinguit sic: *Deus; peccatores, in quantum sunt nature quadam, amat, in quantum sunt peccatores, odio habet.* Non autem simpliciter, & strictè odio habet, qui simul amat; sed tantum odio habet secundum quid. Quapropter Caietanus, & post ipsum alij communiter distinguunt duplex odium, aliud abominationis, aliud inimiciæ; atque primum Deo concedunt, secundum negant idem Caietanus, Ferrara, Suarez, Valentia, Granados, Fasolus, Tannerus, Montoya, & alij, aduersus Vasquez, Arrubal, Hericæ, Auerfa, & alios qui adscribunt Deo odium etiam inimiciæ propriæ tale.

Art. 5. Discrimen inter hæc duo odia præcipuum, & ex quo pendunt alia eorum differentia, in hoc consistit; quod odium abominationis est odium purè reprobatiuum mali, quod inest subiecto odio habito, & intendit, vel ablationem eiusdem mali, & liberationem subiecti ab illo, vel compensationem eiusdem mali in ordinè ab bonum commune, & est proinde maximè proprium Iudicis, & Gubernatoris, quatenus talis. Odium verò inimiciæ est directè, & formaliter detestatiuum subiecti, cui inest malum, & intendit directè augmentum mali in eodem, & reponit bonum odio habentis, in malo, & passione odio habiti, volendo compensationem iacturæ, & nocuenti: quod passus fuerat, qui odio habet, per illationem æqualis, aut maioris nocuenti, & iacturæ, in eum, qui odio habetur. Quapropter odium inimiciæ est proprium personæ particularis, quatenus persona particularis est, quærens quietem animi sui in malo, & perpeffione alterius, & inuenientis, aut fingentis finem, & compensationem nocuenti proprii in nocumento alterius. Hinc fit, ut Iudex interficiens homicidam, ut satisfacit officio Iudicis, non propterea exerceat odium inimiciæ, sed solius abominationis; tamen si maximum inferat malum. At si occidat eundem homicidam, aut etiam mutilet solum, aut aliter vexet filius occisi, ut satisfaciatur iræ suæ, & compenset iacturam, quam passus est, atque hoc concedat malum alterius in bonum proprium verum, vel imaginatum, eo ipso exercet odium inimiciæ. Discrimen istud exponit breuiter, & optimè Philosophus 1. Rhetoric. c. 10. dicens, *Differunt autem pœnæ,*

pena, & ultio. Nam pena eius, qui patitur, gratia fit; ultio verò eius, qui facit. Ex quo apparet clare, punire, dici de Deo propriè; vlcisci verò, non nisi metaphorice.

Art. 6. Nempe Deus sicut nullam iacturam pati potest ex creaturis, iuxta illud Iob. 35. 6. *Si peccaueris, quid nocebis ei?* ita nullum bonum proprium intendere potest ex punitione peccatorum. Quippe Deus in summo felicitatis folio constitutus, omnis expers veri mali, improbos mortalium conatus nihil nocentes deridet securus, & pacatissimo animo supplicia singulis, quæ meruere, decernit, eorum intendens bonum, qui malum ipsi intenderunt, intulerunt verò re ipsa sibi solis. Intendit, inquam, bonum eorum, vel proprium, & particulare, vel commune, & publicum, iuxta cuiusque male operantis capacitatem. Viatoribus enim capacibus emendationis infert supplicia, ut emendentur, quod est bonum ipsis, ideòque non est opus inimicitia. Aliàs Pater, & Magister verberantes puerum; medicus potionem amara, inedia, sectione, vitione delatens in ægrotum; Iudex vindicans scelera contra leges perpetrata, alique consulentes bono eorum, quos vexant, dicendi essent eo ipso exercere inimicitias. Reprobis autem in infernum detrusis, & iam incapacibus emendationis infligit supplicia, ut inferant bono communi, ideòque intenditur ipsorum punitione bonum communitatis, propter quod principaliter existit vnaquæque pars vniuersi. Inducitur itaque in reprobos, per punitionem ipsorum, totum illud bonum, cuius sunt capaces, quatenus sunt partes vniuersi. Vnde neque hoc pertinet ad odium inimicitia magis, quam pertineat ad tale odium punitio sceleratorum per Iudices, aut vexatio brutorum ordinata ad bonum substantiarum rationalium. Nempe peccatores, præsertim ex quo sunt inemendabiles, comparantur iumentis insipientibus, & similes fiunt illis, & ideò destinantur bono aliorum, & laudi Dei, non ex odio inimicitia aduersus ipsos, sed ex odio abominationis aduersus nequitiam eorum, & ex amore boni communis. Tam igitur non conuenit Deo odium inimicitia aduersus aliquem alium, quam conuenit amor strictè talis, & diuersus à puro gaudio erga seipsum.

Art. 1. Ad 1. Simile quoddam argumentum proponit operose, & vrget multipliciter Albiz aduersus libertatem, & indifferentiam Dei respectu existentia creaturarum. Quia videlicet nunquam potest esse indifferens, cui semper inest determinatio ad alteram partem, sicut inest Deo respectu omnium, quæ sunt, & non sunt. Responsio autem est similis vtrique. Quia videlicet non est de ratione indifferentis indifferentia actiua, & inductiua suæ determinationis, ut careat eadem sua determinatione; sed solum, ut non necessariò habeat hanc potius, quam oppositam determinationem sui; Hæc autem non necessitas saluatur in essentia Diuina secundum se, absque carentia determinationis ad alterutram partem, cum sola actiuitate æquè sufficienti ex se, ut adiungat sibi pro libito determinationem, qualem voluerit, ita ut indifferentia sit quidem coniuncta cum determinatione, sed non necessariò cum hac potius, quam cum opposita, eo quod indifferentia est actiua suæ determinationis.

Art. 2. Similiter ergo dicitur de amore Diuino erga se, non esse de ratione ipsius, ut dirigatur cognitione præscindenti ab existentia, & non existentia bonitatis, circa quam versatur, quæque est obiectum eius. Quia est amor essentialiter actiui sui obiecti, & indistinctus realiter, atque etiam virtualiter intrinsecè ab eodem, quatenus est motuum eiusdem. Quapropter solum est de conceptu talis

R. P. Esparza. Curs. Theol. Tom. I.

amoris, ut non præsupponat ante se alium affectum, vi cuius existat, utque vi sua inducat, & ponat à parte rei idem bonum, circa quod versatur. Per hæc enim duo sufficienter differt amor Dei erga se à puro gaudio, nec dici potest Deum purè gaudere de se ipso, & versari circa se ipsum affectu nihil agente, & purè otioso: quod est proprium puri gaudij, sicut oppositum est proprium amoris stricti, & gaudij coniuncti cum amore strictè tali. Itaque æquiuocatio aduersariorum in hoc consistit, quod amor strictus ex sua ratione communi, & vniuersali non postulat præcognitionem obiecti sui, vel determinatè, atque ab hac negatiua transiuerunt ad affirmatiuam, quasi esset de ratione communi, & vniuersali amoris stricti, ut præsupponat eam præcisionem ab absentia, & præsentia, in quo falluntur. Quia seclusa tali præcisione superest adhuc vnde differat amor strictè talis à puro gaudio, ut apparet ex dictis. Apparebit verò magis, si aduertatur eadem ratione debuisse eosdem auctores negare Deo gaudium propriè, & strictè tale. Quia gaudium, ex sua ratione communi, & vniuersali, non postulat, ut vi sua inducat bonum, circa quod versatur, sed potest supponere inductum aliunde. Qualis tamen affectus nullus est re ipsa in Deo; quandoquidem omne bonum Diuinum est ab omni affectu Diuino necessariò, sicut est à se ipso. Sicut ergo ab illis auctoribus, & omnibus aliis conceditur nihilominus Deo gaudium propriè tale, quia non est de ratione gaudij, ut non inducat suum obiectum vi sua; ita similiter iidem, & omnes dicere debemus de amore strictè, & propriè tali ob eandem proportionaliter vtrique rationem.

Art. 3. Instantia ex scientia simplicis intelligentia est abs re. Quia simplex intelligentia vocatur cognitio, qua cognoscitur possibilitas rei cum indifferentia, ut existat, vel non existat dependentè ab eadem cognitione. Huiusmodi autem indifferentia non est de ratione obiecti, circa quod versatur amor strictus, licet neque determinatio opposita huic indifferentia sit de conceptu eiusdem amoris ex genere suo. Ergo nulla est ratio paritatis ex repugnantia simplicis intelligentia diuinæ circa ipsum Deum, ad repugnantiam amoris diuini strictè talis circa eundem. Indidem pater ratio discriminis ad secundam confirmationem; quia desiderium differt ab amore, & gaudio per solam imperfectionem carentia physica, vel saltem intentionalis boni, quod vellet habere desiderans, pro ea duratione, pro qua vellet habere. Quæ imperfectio, quia nequit inesse Deo, neque respectu sui, neque respectu vilius boni creati, cum voluntas Dei sit essentialiter infastrabilis, & inimpedibiliter efficax, atque ut talis cognoscatur à Deo, ut patet Deo, neque respectu sui, neque respectu cuiusquam alterius obiecti posse conuenire desiderium propriè, & sine metaphora, tale. Nulla autem huiusmodi imperfectio est de ratione amoris stricti, sed habet aliunde prædictum positium, & perfectionem peculiarem, qua differat, tum à puro gaudio, tum etiam à desiderio, ut apparet ex dictis.

Art. 1. Ad 2. Amor Dei erga se est procul dubio efficax, quia vi sua ponit à parte rei suum obiectum; Quandoquidem amor diuinus est ipse Deus, qui est à se, ideòque existit vi sua. In obiectione miscetur abusus vocis, dum sumitur efficax, tanquam factiuus; cum sumi debeat latius, pro habente sufficientiam ex se præcisè, ut vi eius existat obiectum. Quod attinet ad alteram diuisionem in concupiscentiam, & amicitiam: certum est, Amori diuino erga se non conuenire rationem concupiscentia, neque formaliter, neque reductiue; quia non amat bonitatem suam præcisè, ut finem qui, & gratia alterius, tanquam finis cui. Sed neque amicitia est formaliter

H maliter

maliter respectu ipsius Dei, ut Deus est propter unitatem ipsius, in ratione talis. Caterum idem amor est amicitia supereminenter, & reductivè, quia est amor finis cui propter se ipsum sistendo inibi ultimo, absque ulteriori progressu ad alium finem.

Art. 2. Quam solet; an idem amor habeat rationem amicitiae formaliter, & propriè respectu Divinarum Personarum? Controuersia videtur levis, & in neutram partem possunt accommodari leges amicitiae praescriptae à Philosopho in eo sensu, in quo accipiuntur ab ipso. Quia illi nec mysterium Trinitatis Divinae innouit, neque quidquam ipsi simile. Dicendum tamen potius est cum Patribus, & Theologis, quos refert, & sequitur Montoya de Volunt. disput. 52. sect. 4. aduersus Suarez, & alios, amorem Dei absolutum, esse veram, & propriam amicitiam vniuersiusque Personae divinae, respectu aliarum. Quia amor absolutus Dei reddit vnamquamque Personam Divinam amantem alias duas propter solam bonitatem conuenientem naturae ipsarum, & quidem amantem infinitè, & cum infinita communicatione omnium suorum bonorum, & absque vlla diminutione, vel amoris, vel communicationis, ex eo, quod communicatio sit coniuncta cum retentione eorundem bonorum, & amor sit similiter propter bonitatem conuenientem naturae amantis. Tantundem enim nihilominus amat vnaquaeque Persona reliquas duas, & tantundem illis communicat bona sua; atque si pateretur iacturam bonorum, quae communicat, eaque transferret ex se ad alias duas Personas, & similiter amat eandem tantundem, atque si amaret propter bonitatem naturae ipsarum, & non etiam naturae suae. Nempe amat, & communicat nihilominus infinitè, simpliciter amore, & communicatione, quibus ne quidem cogitari maior potest, & quod caput est: vnaquaeque Persona amat reliquas, & communicat illis bona sua amore, & communicatione, quale eandem volunt, & quae maiorem velle nequaquam possunt. Cuius rei nihil simile in creaturis contingere potest, ut patet. Quia quilibet finitum in plures distributum, redditur minus respectu singulorum. Quare necessitas etiam dualitatis naturarum ad rationem amicitiae spectat similiter ad imperfectionem amicitiae creatae, quatenus duae personae amantes se inuicè perfectè dari non possunt absque duabus naturis, sicut possunt dari in Deo.

Ad 3. Illa testimonia accipienda sunt de odio abominationis intendente bonum odio habiti, in quantum is est capax bonorum: ideoque compossibili cum dilectione eiusdem, in quantum est natura quadam. Nec obest magnitudo malorum, quae Deus infligit peccatoribus. Quia inimicitia non specificatur formaliter ex magnitudine malorum, quae intenduntur, sed ex qualitate finis, qui illis praefigitur, ut patet ex ratione, & pluribus exemplis superius propositis. Finis autem à Deo intentus in punitione peccatorum quam longissime distat à fine proprio inimicitiae, ut indidem apparet clarè.

Ad 4. Vult quidem Deus, ut poenae peccatorum inferant molestiam peccatoribus; sed non sistit in hoc eorum malo, quin progrediatur ulterius ad bonum eorundem per emendationem, vel per ordinationem ad bonum vniuersi, cuius illi sunt partes. Vnde tametsi peccatores displiceant Deo propriè, & sine metaphora, non tamen displicent displicentia excludente providentiam Paternam, vel certè absolute misericordem circa ipsos modo dicto. Iam quod odium inimicitiae non excludat intentionem omnis absolute boni resultantis ex malo inimici, verissimum est; sed non est verum, nullius boni intentione tolli rationem inimicitiae. Tollitur enim intentione boni, vel respectu patientis, vel respectu communis cum

exclusionem boni particularis spectantis ad auctorem odij reponentis suam felicitatem in infelicitate odio habiti, & volentis compensare impensis eius malum, seu iacturam, quam passus fuerat idem auctor odij. Quod in Deum minime cadit, siue comparatur cum peccatoribus adhuc emendabilibus; siue cum iis, qui non sunt amplius emendabiles.

Ad 5. Transeat, homines posse exercere per accidens odium inimicitiae aduersus Deum, quia possunt credere, aut imaginari se posse nocere Deo, idque deinde intendere, aut operari ad modum id intendentium; atque hoc reputare lucrum proprium, & materiam propriae delectationis, & felicitatis. Nihil autem simile cadit in Deum, ut patet ex dictis. Neque verò decet Deum, ut imitetur homines in modo operandi, maxime cum stultissime operantur, ut accidit in casu proposito. Paritas amicitiae Dei erga amicos suos ideo non tenet, quia decet auctorem omnis boni sistere in intentione boni, eiusdemque communicatione. Deditur verò, ut inferat aliquod malum, quin illud ordinet ad bonum, vel ipsius patientis secundum se, vel communis, cuius ille est pars. Quapropter testimonia, quae praefata sunt inimicitiam inter Deum, & homines, accipienda sunt de inimicitia late sumpta respiciente qualitatem, & magnitudinem malorum, quae inferuntur, non verò de inimicitia strictè tali dissidente ab odio abominationis, ratione finis peculiaris repugnantis Deo, & formaliter, & aequiualeuter, ut dictum est. Quo ferè pacto interpretati sumus alibi testimonia, quae loquuntur de iustitia, & iniustitia, seu iniquitate inter Deum, & homines.



QVÆSTIO XXV.

Utrum Voluntas Diuina sit mensura bonitatis rerum omnium?



IDEUM non esse iustam mensuram bonitatis rerum, sed posse esse maiorem eius amorem erga obiecta minus bona, & minorem erga meliora, & aequalem erga aequalia. 1. Quia omnis amor Diuinus est simpliciter infinitus, siquidem omnis amor Dei est ipse Deus; ergo non potest esse inaequalis pro inaequalitate obiectorum, sed necessariò est tantus circa minima, quantum est circa maxima, & circa se ipsum.

2. Actus liberi Diuini possunt esse diuersi absque vlla diuersitate ex parte rerum creaturarum. Quia eandem omnino res creatas potest Deus diuersimodè ordinare, & velle. Non possunt autem esse diuersi actus liberi diuini, quin sint diuersimodè, atque inaequaliter aestimabiles à creaturis. Ergo stat inaequalitas amoris ex parte Dei, absque inaequalitate bonitatis ex parte creaturarum.

3. Potest Deus conferre Petro, & Francisco aequalia auxilia gratiae efficacia; sed Petro cum ea preparatione voluntatis, ut conferret multò vberiora, si non praeviderentur efficacia, quae conferuntur de facto; Francisco verò nequaquam. Potest item inefficacia vtrique conferre, sed Petro cum voluntate eadem conferendi, etsi praeviderentur efficacia, Francisco verò cum voluntate non conferendi, si praeviderentur efficacia. Patet autem in utroque euentu dari inaequalitatem amoris diuini maioris respectu Petri, & minoris respectu Francisci, & tamen bona vtrique collata esse aequalia.

4. Potest Deus aequalem gloriae gradum decernere duobus, sed alteri ante praeuila merita, alteri non nisi